

DISSERTATIONIS,  
DE  
BIBLIOTHECARIIS  
ACADEMIÆ ABOËNSIS,

PARTICULA NONA.

QUAM,

ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURAICO,  
*publico examini,*

in Auditorio Jurid. die xiv Jun. a. MDCCXXIII,  
h. a. m. f.

PRÆSIDE

*Mag. FREDR. WILH. PIPPING,*  
*Hift. Litter. Prof. Publ. Ord. & Biblioth. Acad. Praefecto,*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

*modeste subjicit*

*JOHANNES ISAACUS FLORIN,*  
*Stipend. Publ. Nylandus.*

---

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

## THESES.

### I.

Priscarum gentium omnibus, quæcunque haud contemnendam litteris operam dederint, palmam Græci suo jure præripuerunt, et plurimas scientia comprehendentes disciplinas, et plurimum in quavis proficienes.

### II.

Inter disciplinas quarum incunabula apud Græcos reperiuntur, insignem merito locum occupat, quam *Grammaticen* appellant.

### III.

Omnium, quas inierunt Philosophi Græci, docendi viarum, ad animos juvenum acuendos plus minus ferentium, dialogistica illa, qualius est Socrates, non minus discentibus quam docentibus aptissima fuit.

### IV.

Litterarum antiqui ævi conservandarum et propagandarum adminicula longe pretiocissima, immo suo in genere unica, cum Bibliotheca celeberrima Alexandrina funditus periisse, eo magis dolendum est, quo minus amplissimæ hujus gazæ laudes in dubium vocare licet.

### V.

Negandum minime est, bella Musarum progressus quodammodo retardare; fata vero litterarum si usquequaque consideraveris, bellorum motus has interdum etiam citius quam vulgo sit promovere, facile apparet.

### VI.

Dignissimus sane est, cuius memoria gratissimo animo ab omnibus Musarum cultoribus recolatur Carolus Magnus, quippe qui lumen litterarum in Europa fere extinctum denuo accedit.

sine ignominiae injuria fieri non posse quererentur, ut sibi præponeretur; quare in mandato Cancellarii exsequendo cunctatum aliquantum est, quo tamen accuratius pensitato ita tandem compositi sunt animi, ut aliis insuper PETRÆO, apertam certamque sententiam postulant, pactione cesferit honos, de stricto suo jure aliquid detractum ubi ferret. Ea enim conditione, ut infimum Profesorum qui jam essent locum occuparet, MILTOPÆO proximus, adventuris vero superior, eum Assesorem perpetuum collegio suo d. 4 Apr. a. 1664 Consistorium Academicum ascivit, qua etiam, donec Regia Majestas aliquid de loco sanxerit, se acquieturum promittens, sui quamquam haud existimans arbitrii, de privilegio sibi a Cancellario concesso quid remittere, d. 20 ejusd. mensis, nondum communicato cum Cancellario, multo minus confirmato, sed propediem referendo, Senatus decreto, locum Assesoris Consistorii Academicii juramento præstito adiit (bb).

Propriis commodis inserviendi desiderium magnam non inficiamus sibi vindicasse partem molitionum PETRÆI harum similiumpque; necessitate autem provocatus, non amore quæstus immoderato propulsus, ita sibi unacum thesauro publico, quem custodiendum susceperebat, quin consulere voluerit, est quod exilitate considerata loci in quo stabat, non ab eo solo, sed bonis omnibus, medelam rei librariæ Academiæ optantibus, saepius deplorata, non dubitamus. Remissam a Consistorio d. 27 Febr. a. 1661 Nostro, ut incrementum salarii haberet minutissimi, Pecuniam diligenterum quam vocarunt, exceptis Thaleris IV argent. Notario Stipendiariorum cedentibus, ut taceamus, æquitatis plurimum votis ejus certe addunt consentientia Consistorii consilia, de implorandis a S. Regia Majestate per Illustrissimum Cancellarium validioribus Bibliothecario

N vitæ

bb) Prot. Consist. Acad. dd. 2 et 16 Dec. a. 1663, 29 Mart. et 4, 20 Apr. 1664.

vitæ subsidiis. Sic monenti eidem a. 1665, ut in postulatis Academis, ad S. Regiam Majestatem subiectissime referendis, de augmento salarii quoque sui, communibus Cœlestis Harri Consistoriique promisiss atque decretis sæpius profligata quæstio proponeretur, et hoc annuit Senatus (cc), et ultiro litteras dedit, favori Cancellarii rem commendantes (dd), nullo præterea non tempore sincerum præ se ferens studium parvæ subveniendi rei viri, cuius prudentia atque fidei tradita erat gaza, et pretiocissima, et omnium quibus opus habet societas Academicæ, maxime necessaria. Multis autem difficultatibus conflitante republica conceptorum horum taliumque votorum compotes non factos Academicos quis miretur?

Salu-

(cc) Prot. Conf. Acad. d. 3 Maij e. a. Oblivioni tamen datum suspiccamur promisum, quoniam exemplum Postulatorum, quod in Actis Rectoratus e. a. exstat, de Bibliothecarii salario nihil habet.

(dd) Prot. Conf. Acad. d. 19 Jul. a. 1665, quo referendum quoque putamus schema litterarum Consistorii ad Cancellarium, male inter Acta Rectoratus anni 1663—1664 collocatum, ibidem sub N:o 39 his verbis legendum: "E:s Høgh Gref. Nåde åre vij förfäkadhē här med ödmjukeligen ansökia, aldenstundh Academie Bibliothecrius M. Andreas Petrus hafver ols berättat, sigh förmeldest underdårigt anhållande erhållit E:s Høgh Gref. Nådes höghgunstiga tillsejelse på något augment uppå Bibliothecrii Staat, som här vid Academien är måchta ringa; så emedan sådan E:s Høgh Gref. Nådes höga ynnest lender denne Academien icke till ringa förkofring, derföre kunne vij efter vår skyldigheit icke underläts E:s Høgh Gref. Nåde här med ödmjukeligast betacka, derhoos utti skyldig ödmjukheet bidiandes, E:s Høgh Gref. Nåde täcktes vid Statens formerande desf höghgunstiga tillsejelse nädigast ihogkomma, och der hän förhelpa, at Bibliothecrius här vid Academien med så stor Stat kunne försedd blifva, der med en vacker Lård Man medh dhe sijna Subjiflera och tilbörlijen sig nära kunde. Hvarutinnan E:s Høgh Gref. Nådes nädiga bönhörelse vij så mycket sâkrare förmode, sâsom det lender denne Academien till honneur, nyttå och merkeligt gagn."

Salutaris vero Bibliothecæ procul dubio fuit venia adjungendi sibi ejusdem tuendæ socium, litteris iisdem Cancellarii, quibus Profesoribus par factus est PETRÆUS, petenti data. Quamvis enim multæ esse non potuerit operæ cura exiguae, qua tum temporis gaudebat Academia, librorum copiæ, illi tamen qua satis esset ratione gerendæ quin sufficeret Præfecti unius industria, vel accuratissima, sperare vetuit fortis humanæ contemplatio, officiis colendis interdum imparem quenvis nostrum exhibens. Ægrotanti ex. gr. Bibliothecario, aut aliis negotiis detento necessariis, aut data venia absenti, quis succederet? Vel, obseratane aliquando jaceret Bibliotheca publicis usibus dicata? — Senatus igitur Academicus, utilissimum maturare cupiens consilium, ne delectus quidem mora Bibliothecario concessa, sed huic tributa litteris Cancellarii adjutorem eligendi potestate, sibi vindicata, illis recitatis *Adjunctum eidem in Bibliotheca*, prout habet Protoc. Consist. Acad. d. 2 Dec. a. 1663, JOHANNEM ALANUM continuo constituit, meritum propterea Stipendio supremæ classis Regio (ee). Cui decreto neque constat PETRÆUM tum repugnasse; sed anno transacto negligentiam ALANI conquestus, utpote qui Bibliothecam ne quidem intraverit, et illi destinatum sibi postulavit Stipendum, et Studiose PETRO KOLCKENIO, qui ipse litteris Senatum compellans PETRÆO suafore idem rogavit, Amanuensis partes deferri voluit, Consistorio tamen, dum has publice  
N 2 renun-

---

(ee) Eodem Stipendio jam antea fruenti nullum laboris pretium ita affluisse putes, ni forte ut emerito illo, quod saltem ab initio a. 1659 numeratum erat, novum novo jure tributum censeas. Filius erat GEORGII ALANI, S. S. Theol. Doct. et Prof. Prim. atque ELISABETHÆ NICOLAI, primus hic Bibliothecæ Amanuensis, qui a. 1664 d. 24. Maji promotus Philosophiæ Magister et d. 15 Nov. a. sequentis Adjunctus Facultatis Philosophicæ a Consistorio Academico designatus, exeunte a. 1667 diem obiit supremum. Vid. Prot. Consist. Ac. d. 15 Nov. a. 1665, 7 Nov. 1666, 5 Dec. 1667, et 23 Jan. 1668.

renuntiaret ALANUS, renuente (ff). Haud multo autem temporis hinc emenso spatio voti ejusdem damnatum fuisse KOLKENIUM, probare videntur Acta, quibus præludentibus novimus, ALANUM, initio a. 1665 Stipendio privatum, litteris Cancelarii intercessoriis, nullius tamen ministerii in Bibliotheca obeundi mentione facta, id obtinuisse in sequente 18 Okt. ut Stipendii ejusdem usus, donec honorifica alicujus muneric functione auctus fuerit, denuo sibi promitteretur (gg), sed a festo Johannis Baptiste ejusdem anni tributum esse KOLKENIO etiam petenti Stipendum in suprema classe; unde, cum alio nullo ad classem hanc mox adscendisse videatur jure, anno jam 1665 Amanuensis spartam ei obtigisse cogimus, quanquam eum titulum nomini ejus ante a. 1667, qui ultimus fuit administrationis hujus, adjectum non offendimus (hh).

Silentio

---

ff) Prot. Consist. Acad. d. 7 Dec. a. 1664.

gg) Prot. Consist. Acad. dd. 5 Jun. et 18 Okt. a. 1665. Retinuit item Stipendium unicum Pecunia diligentiorum, ordinarii salarii loco, ad excessum e vita usque ALANUS, nomine magis quam re Adjunctus Facultatis Philosophicæ, cum Bibliothecario (PETREI successor) Mathefesoisque simul Professori Extraordinario, Mag. PETRO LAURBECKIO, emolumentis Adjuncturæ eo usque gestæ ulterius fruendi jure permisso, Illustrissimus Cancellarius placitum antiquaverit Consistorii, Adjuncti sedem hanc ALANO prius decernentis. Cfr. Litt. Cancell. d. 21 Aug. a. 1666, et Consist. Acad. ad Cancellarium eodem anno missa epistola, in Actis Rectoratus descripta.

hh) Cfr. Protoc. Consist. Acad. dd. 5 Jun. a. 1665 et 19 Febr. a. 1668, cum libello ipsius KOTKENII petitorio, in Actis Rectoratus a. 1664—1665 exstante, quem, aliis, fata virorum qui Auraicis Musarum sacris olim interfuerunt investigaturis, materiam præbituri, legendum his ipsis auctoris verbis exhibemus: "Magnifice Domine Rector, etc. Multi hoc ævo Adolescentes post habitu artium liberalium studio vel ad artes Manuarias perdiscendas, vel ad Militiam animum adjungunt, suadentibus interdum etiam cogentibus Parentibus præ metu defectus mediorum. Cum his vero minime

Silentio denique prætereunda hoc loco minime sunt, sæpius repetita, quanvis frustra, paupertati Bibliothecæ aliquo modo subveniendi conamina Consistorii Academici, quæ Bibliothecario, nisi semper auctore, nunquam tamen non participe, facta esse non dubitabunt, quotunque Collegio illi Patrum Academicorum eodem tempore assidentem, haud dicam pristinum abjecisse studium, sed otiosum plane ab officio quovis temere discessisse non potest. Missis autem minoris momenti aliis,

---

sentiens ego, jam Puer mirifico liberalium artium amore captus, suadentibus et hortantibus Parentibus meum ad studia hæc humaniora excolenda adjunxi animum. Sperans Parentum ad suppeditandos sumptus opem, donec ad metam studiorum pervenissem, haud desitaram. Cum itaque jam prima rudimenta et Præcepta Grammatices sub privato Præceptore aliquomodo perdidicī, ad Scholam hanc Abenensem me contuli, ibique cum studiis his operam nava, præter spem Parens meus Venerabilis D. Henricus N. Kolcka, quondam Pastor in Rijmitten, mortem A.o 1659 obiit. Quod infortunium meum fregit animum, et me a Proposito deterruisset, nisi hominum piorum cognatorumque intervenisset suasus et hortamen ut pergerem nec studia bene inchoata derelinquerem; Post illud tempus nullum fuit auxilium a matre Vidua, quippe quæ novem natu minores alendos habuit liberos. Sola siipe Scholastica per duos quos in pulvere Scholastico exegi annos, vixi. Ab A.o autem 1661, quo Academicæ societati adscriptus fui ad præsens tempus, nulla adjutus ope, vitam toleravi inopem et pauperissimam. Non sine magna etiam in studiis texendis remora quæ felicius si res ad sumptus faciendos sufficeret absolvı possent. Cogitavi aliquoties de studiis deserendis, spem tamen fecit et me excitavit ad continuanda studia summa Vestra liberalitas, Patres Academicci, erga pauperes Musarum alumnos nullo non tempore exhibita. Nolui tamen vos sollicitare donec spes fuit, ut ad informandos liberos aliquo vocarer, sed cum hæc spes me frustrata sit haftenus, jam cogor vos supplex de stipendio Regio sollicitare. Humiliter ergo Vos, Patres Amplissimi, rogo et oro ut me dicto Stipendio Regio adjutare dignemini, Deus Ter Opt. Max. hoc vobis rependet larga manu. Hisce Vestras Amplitudines Deo comiendo, sperans a V. Amplitudinibus ad studia proroganda subсидium.”

aliis, capta annis 1664 et 1665 de redditibus Bibliothecæ augendis consilia tantum paullo strictius pensitemus. — Postulata Academiæ a. 1665 proposita, supra pag. 96 locuti sumus; talia vero superiori quoque anno facta esse, mox apparebit. Mathem. enim Professori, Mag. SIMONI KEXLERO, Cleri Aboënsis negotiis ad Comitia Holmiensia hujus anni delegato, et Quæstori Academiæ, PETRO GERS, *Sen.*, a Consistorio Academico illi in causis Academite agendis adjuncto, varia in commissis data sunt petita, ut rei Academicæ salutifera Regiæ Majestatis gratiæ submisæ commendanda; quorum, locis octo comprehensorum, secundo vota Academicorum de augmento Bibliothecæ obtinendo generatim erant concepta, octavo autem separatim de prædio suburbano *Paskunda*, in parœcia S.tæ Catharinæ vel Nummensti sito, agebatur, quod, incultum memoria ejus ætatis desertumque, nemini jam diu fuerat usui, sed aliquando tamen fructus quosdam editurum sperabant, si forte Fisci Academicæ munificentia Regia donatæ terra, veribus constitæ, labore improbo subigerentur (*ii*). Pæne infœcta autem re, vel saltem dilata sententia, domum postquam rever-

si

---

*ii) Fide Schedæ in Actis Rectorstus a. 1664—1665 repertæ hoc narravimus, cui inscriptum est: Academiens i Åbo underdånige Postulata, som til Hans Kongl. Maj:t wår allernådigste Herre och Konungh medh Mathematum Profesore M. Simone Kexlero och Acad. Quæstore uthi första underdånigheet öfversändes (et infra. Öfversändes d. 25 Jun. 1664), quamvis strikte non congruat cum adjecto eidem, Quæstoris manu scripto et nomine munito codicillo, qui audit: Extraff af Academiens i Åbo underdånigeste postulater, hoos H:s Kongl. May:t intagde, cujusque secundo loco Bibliothecæ augendæ ut dono Regio concederetur præmium *Paskunda*, per XL annos jam desertum jacens, rogatum esse docetur. In Bibliothecam etenim quocunque ea ætate insumeretur, e Fisco Academicæ communis cum plerumque fueret, eo certe recidit scriptorum varietas horum, ut aliquid saltem emolumenti e prædio illo Bibliothecæ vindicandum esset. Cfr. præterea Protoc. Consist. Acad. dd. 20 Apr. et 15 Jun. a. 1664.*

si erant ad finem vergente autumno delegati, redintegratum est opus, additis novis quatuor desideriis, vere anni sequentis, Quattuore Holmiam repetere jusso, suaque pollicente studia eodem abituro Episcopo et Procancellario Doctore JOH. GEZELIO in adjuvanda re, favori Illustrissimi Cancellarii etiam per epistolam denuо commendata, haud tamen faustiori omine, cum Mæcenati huic adeo non placuerit petitum illud, prædium Paskunda tangens, ut, eo iusfore e postulatis extirpatum, ne in deliberationem quidem ceciderit; nec alia quadam via Bibliothecæ in eodem negotio gerendo consultum esse constat (kk).

His, quibus ostendere nisi sumus animum PETRÆI, a Biblioteca minime aversum, operæ in eadem curanda ab eo natare nonnulla quidem adjicere possemus leviora, sive in libris ipsis, sive in Actis, hodie adhuc apparentia vestigia; sed partium studio indulgentis ne accusemur cognitoris more in lumine tabulæ diu nimis contemplando hæfisse, un'bram etiam examinandam cuique oblaturi jam fateamur, necesse est, suarum rerum cura ab officiis abductum eum haud raro, quantum satis eset Bibliothecarii muneri colendo non dedisse, multo minus laude digna diligentia idem explevisse. In negligentiæ reprehensionem longa sine venia absentia inprimis incurrit, æstate a. 1662 Holmiam profectus, variisque deinde nexis redeundi moris lesquialterum fere annum, privatis maxime negotiis curandis, usque ad mensem Novembrem 1663 terens. — Germaniam, animi uberiore doctrina pascendi et ampliore rerum usu perpoliendi causa, an illa quoque tempestate salutaverit PETRÆUS, ut innuere videntur litteræ ipsius, nec minus Cancellarii, die 12 Dec. a. 1662 utræque ad Consiliorium Academicum misæ, satis quidem liquido enodare non

---

kk) Prot. Confis. Acad. dd. 6, 26, 29 Apr. 3 Maii et 1 Jul. a. 1665,  
atque Litt. Reg. hujus diei ad Collegium Camerale.

non potuimus (ll); de rebus vero, quarum procuratione Holmiae distinebatur, hoc constat, mandatum habuisse, utrum ab Ecclesiastico an ab Academico Consistorio haud tamen scimus, ut a S. Reg. Majestate Capitularibus immunitatem rogaret impensarum variarum publicorumque onerum, praeter jus antiquitus sanctum Parocciis ipsorum, Academicis muneribus annexis, impositorum: quod eo exsecutus est successu, ut tributis publicis, quae titulis *Krigshjelp*, *Krönings-* et *Begravnings-Gärd* penderentur, litteris Regiis d. 17 Jul. a. 1662 Pastores Academicici illi levarentur (mm). Quae procuratio tamen, prima jam æstate peracta, quin domum citius reverteretur, impedire non potuit, verum privati maxime boni studium, cum quippe inter publicas res privatis invigilans, et lætioris fortunæ exspectatione de die in diem ducta, in spem salutis justio forte longiorem erectus, utilitati suæ inserviendo opportunitum tempus minime dimittendum ratus sit. Exilitatem enim et angustias loci, quem in Academia sortitus erat, Superioribus iterum iterumque questus, et ut vel majore mactaretur salario, vel ad Professionem aliquam Academicam provchere-

tur,

ll) Cancellarii Litteras videlicis infra Nota (oo). Ipse PETRAEUS, gratum avunculo CAROLO POMERENING facturum se in Germaniam quam citissime excursurum nuntiavit. Nobilissimus autem SJERNMAN, *Biblioth. Sveog.* Tom. VI. ultra Sveciæ terminos studiorum perficendorum cauta pedem eum movisse negat.

mm) Vid. Collectio Epistolarum ad Consistorium Ecclesiasticum Aboëns, N:o 1, pag. 37. — Edicto Collegii Cameralis, Gothoburgi d. 19 Mart. a. 1660 signato, petenti Capitulo et Clero Aboënsi, per allegatum ad Comitia ejusdem anni Profesorem ABRAH. THAUVO-  
NIUM, ut a tributis bellicis aliisque vestigalibus antiquo jure libe-  
rarentur Capitulares, Præbendarum Academicarum Pastores, hoc  
commodi, quatenus Ordinum Regni in Comitiis quibusdam dato  
consensu limitatum antea non esset, permisum quidem haud ita  
pridem fuit, sed ad liquidum tamen ita minime perducta res, vel  
temporum ærumnis vel longiore abusu impedimenta objicientibus.